

einen Theil des Mariale bildet, fortan weder dem Engelbert von Admont, noch dem Prior Conrad von Gaming, noch dem hl. Casimir zuschreiben kann.

Maredsous.

P. U. Berlière O. S. B.

Ephemerides

Rerum in Monasterio Mellicensi et in Austria nostra gestarum a die 31. Julii anni 1741 usque ad annum 1746,

a P. Hieronymo Pez, Bibliothecario Mellicensi, conscriptae

et a P. Vincentio Staufer, ejusdem Bibliothecae Praefecto, editae.

(Continuatio, vide fasc. IV. sub. ai. pg. 347—361.)

Postea 17. Junii insequente Regina ad St. Stephanum venit, et jussit Te Deum laudamus celebrari, in gratiarum actionem pro benedictione a Deo data super ejus exercitum in Bohemia, ter e moenibus tormentis explosis. Postea triduana devotio coram Venerabili instituta, cujus initium fecit Cardinalis Kolonitsch cum clero suo, reliquo per urbem clero et populo eam continuante, cui devotioni his tribus diebus interfuit all' incognito Regina, ejus Conjux, Archiducissa Magdalena, et vidua Imperatrix, cum Maria Anna filia sua. Item nuntius a Carolo Principe e Bohemia missus attulit, exercitum versus Pilsen abire, et in via 2 loca occupasse, simulque in iis plena Magazina hostilia consecutum. E novis Viennensibus et Gallicis: Admiralis Lestok et Contra Admiralis Matthaëus cum sua Classe maritima mare mediteraneum in Catalonia et Provincia magnopere infestat, ita ut nec Hispanis nec Gallis in eo navigare tutum fuerit, pluribus navibus Hispanis in Italiam propter bellum pergentibus captis. Apud portum Antibo in Provincia 34 naves Anglicae excubant. Galli portum Toulon navibus armant, et introitum prohibent Anglorum metu, qui Angli omnes naves Hispanicas tollunt, et Gallorum aliarumque nationum naves visitant, armaque pro Hispanis reperta auferunt, navibus libere dimissis. E Viennensibus novis de Bohemia: Nostri in Bohemia 16. Juni Pilsensem civitatem occupant protenso vexillo, praesidio 500 Gallorum in ea existente se statim nostris dedente, qui omnes captivi belli facti sunt, et satis bonum Magazinum, quod vel auferre, vel destruere hostes venerant, aquirunt, nemine uno nostrorum perditio. Hostes Galli Pragam omnes contendunt, et in ejus vicinia castra metantur, adversus quos noster exercitus recta pergit.

28. Junii 6 magnae naves Gallis apud Pisek in Bohemia a nobis captis onustae hic mane Danubium transierunt, in Hungariam deportandi. Statim has alia navis cum similibus Gallis pone Monasterium transiit me vidente, erantque milites in pavimento navis arcte considentes, non multum loquentes, et omnes sine armis. E novis Viennensibus: Noster exercitus in Bohemia 20. Junii ex Pilsen in Schebrack promovit. Nostri ex interceptis litteris Gallicis rescierunt, Gallos in fuga ex Pisek 8000 suorum

amisisse, et augeri numerum infirmorum inter eos, atque ex Beraun Pragam sub tormentis se collocasse, ex Pilsen autem a nostro exercitu 3000 Hussari versus Carlsbad ad certum finem destinata et missa fuisse. Hi tamen rursus a Principe Carolo ad exercitum nostrum evocati fuere, non scitur qua ex causa.

25. Junii. Magnus Dux Hetruriae, maritus nostrae Reginae, Vienna ad exercitum nostrum in Bohemia pergit eum comitante Regina nostra usque ad primum pontem Danubii. E novis Viennensibus atque e castris apud Horzelez in Bohemia positis refertur inter cetera, nostros usque Beraun et inde usque Horzaz absque obstaculo pervenisse 23. Junii. Eodem die quidam tubicen Porussicus cum litteris ad Principem Carolum nostrum venit, simulque edocuit, Regem Porussiae nostrum amicum esse, ejusque milites ex Jesteniz et Schwarz Kosteletz abiisse, et domum reversos esse.

E Ratisbona scriptum, Gallos mille currus von der Munition ex Bohemia eduxisse, Gallos quoque in Bavaria separatim stare ex altera parte Danubii, et Bavaros cum Palatinis ex hac parte, sic tamen, ut mediante ponte super Danubium facile possint conjungi et tempore praelii Czaslaviensis, id est a 17. Maji usque ad 23. Junii nulla inter nos et Prussos intercessit pugna.

E novis Gallicis: Doria, Nuntius Apostolicus Francofurti apud Carolum VII., petiit a Papa, ut sibi liceret coram eo apparere en forme demi publique i. e. halbmässig, quod Papa permisit, revocatis ab eo Secretario et Advocato, quos prius Doria apud se habebat. Comes de Thun, Minister nostrae Reginae apud Aulam Pontificiam, imprimi curavit relationem de proelio Czaslaviensi, quam videre cupiebat ingens populi Romani multitudo, adeo ut ipsius palatium subito repletum fuerit hominibus, verum lecta relatione, cum venissent ad id, ubi dictum fuit, Austriacos nostros cecidisse ex arena belli et aliquot tormenta bellica amisisse, quivis male contentus domum abiit. Studium populi Romani et eorum, qui Austriae Domui addicti sunt, est incredibile adeo, ut nullam fidem adhibeant litteris Francofurto Romam scriptis, nec Legatorum Galliae, Hispaniae, et Ducis Bavariae propterea, quod ex decem partibus urbis Romae novem sint Austriacis addictae.

Mutina 8. Junii scriptum, post abitum Ducis Mutinensis 2000 milites Regis Sardiniae hanc urbem occupasse, et Ducem in Statum Venetum se recepisse. Et quia Dux arcem Mutinensem nulli cedere voluit, milites Sardinenses eam vi oppugnabant. Angli in Mari mediterraneo omnes naves Hispanicas et Gallicas visitant, et iis eripiunt omnia, quae in bonum Hispanorum advehuntur. Milites Hispani in Provincia Galliae detinentur, et ob defectum pabuli alio commigrant. Iidem Angli jubentur fortiter defendere portum Villefranche contra Hispanos et Gallos et impedire illis transitum in Italiam adeo, ut Infans Philippus Hispanus in Antiber morari cogatur, qui voluit transire ad exercitum Hispanum in Italiam. Dux Sabaudiae nempe filius regis Sardiniae intrat Ducatum

Parmensem, juncturus se Austriacis nostris et Sardiniensibus contra Hispanos. Mantuae 3000 Croatae adveniunt, quos sequentur Rascii turcice vestiti. Galli Dunkeream magno numero adveniunt, ut et Valencennas in Belgio.

Constantinopoli scriptum 30. Aprilis, in Divan seu concilio turcico lectas litteras Regis Persiae, quibus petit a Turca, ut secta de Jafer Meccae agnoscat pro Secta orthodoxa Mahumetana, et ut ipsi cedatur, quidquid alias Tamerlanus possedit in Armenia, Georgia et Asia minore. Hae petitiones rejectae sunt a Turcis, et illi opponunt 200.000 militum. Magnus Vezirius depositus, et in turrim coniectus fuit, utpote invisus populo et Imperatori, inque ejus locum suffectus Ali, ante Pascha in Bosnia. Item in novis Gallicis Vienna scriptum, a Regina nostra factam promotionem praefectorum variorum militarium, qui se bene gesserint in proelio Zaslaviensi, qui et immunes fuerunt a Saxa alias persolvi debita in hujusmodi promotionibus ab eorum merita in dicto proelio. Carolus VII mittit D. Bunau, Ministrum suum, Hamburgum, Libekam, non tamen causa fuit expressa, sed probabiliter ad colligendam ab urbibus Hanseaticis pecuniam, qua magnopere egebat, praedictus Carolus, sic dictus Romanorum Imperator, Parisiis plura scripta vulgantur adversus statum modernum Gallorum Regis, qui in Germania tot turbas excitavit ob auxilium missum Duci Bavariae, et foedus initum cum quibusdam Electoribus Germaniae, contra Reginam. Auctores horum scriptorum missi sunt in custodiam. Valde credibile est, plurimos Gallos murmurare contra Regem et ejus exactiones ob bellum in Germania, ab ipso tantis cum sumptibus et damno suorum gestum, eo quod Galli ex hoc bello nihil utilitatis capiant, sed unice Rex et Gubernium gloriam quaerat, quasi dominari et regnari vellent in Germania nostra. Londino scriptum, militibus Anglicis a Rege mandatum, ut exactam disciplinam in Belgio observent, omnia innumerata pecunia solvant, et elero catholico nulla ratione molesti sint. Comes de Neuperg, Commendant in Luxemburg, Bruxellas venit cum Duce de Arenberg et Comite de Stairs, Legato Anglico, et Duce Marlebourg, et Gubernatore Belgii, Comite de Harrach, collaturus. Comes de Stairs Hollandos urget, ut bellum Regi Galliae indicant, quos avertere conantur Marchio de Fenelon, Gallus, et Marchio de Giles, Hispanus. Item eodem scriptum, quod in Anglia laborent pro foedere inter nostram Reginam, Regem Sardiniae, Angliae, Rempubicam Venetam et Hollandos. E novis Viennensibus: Scriptum Bruxellis 11. Junii, altera pars militum Anglicorum constans 5950 militum, in Belgium venit, divisa in urbes Gandavum, Bruggas, Oudenarde ac Costractum. Wratislawia, inducias armorum inter Reginam nostram et Regem Porussiae in hac urbe apud praesidium et exercitum Prussicum in Silesia publicatas. Itemque ad exercitum nostrum in Bohemia existentem adventit tubicen Porussicus, nuntians, 21. Junii sollemniter fuisse publicatam cessationem ab omni hostilitate inter nostros Austriacos et Prussos in exercito Prussico haud procul Kutttenberga. Item Monachii a nostris militibus habitum solemne Te Deum laudamus in

Ecclesia B. V. M. ob victorias a nostris habitas de Gallis in Thein, Pisek et Pilsen.

E novis Viennensibus, Exercitum nostrum 25. Junii usque Pragam una media hora minus pervenisse, et 27. in Monasterium Cisterciense dictum Aula Regia, vulgo Koenigssaal distans fere 2 horis Praga concessisse, ubi etiam habuit das Haupt-Quartier, ut iacto super Moldavam ponte faciliorem habent communicationem cum legione Testetizensi per Moraviam et Czaslau ac Kuttenberg ad nostrum exercitum venientem. Eodem die Magnus Dux Hetruriae apud exercitum advenit. Galli die noctuque laborant in munienda Praga, unde et saepius in nostros tormentis bellicis, sed sine damno iaculantur. Item 26. Junii plus quam 100 equos Gallicos et equites nonnullos nostri Hussari et Croatae capiunt pabulantes. Item hac ipsa die tubicen Gallicus cum litteris ad Principem Carolum in castra ex urbe Pragensi advenit, quarum litterarum tenor expressus non fuit.

3. Julii. Vienna abducta sunt multa et gravis ponderis tormenta bellica cum multo apparatu bellico ad exercitum nostrum in Bohemiam, ad quae vehenda etiam D. Abbas noster, uti et Nobiles, suos equos et currus suppeditarunt. Item in Moravia vulnerati nostri milites apud Czaslau numero 400 equites et multi pedites sanati in Bohemiam abiere.

Ex litteris Passavio 2. Julii scriptis a D. Jacobo Rosenzweig, mercatore ibidem ad D. Thomam Stadler Mellicensem itidem mercatorem haec excerpti: Diebus 28. et 29. Junii omnes nostros Hussaros, Hungaros, Grenadiers, pene omnem equitatum e castris suis per pontem trans Danubium ivisse, pane ad 4 dies provisos, neque tamen multos Generales et Praefectos militum scire (quibuscum hic mercator se notum ait), in quem finem aut quorsum, atque majorem haecenus non fuisse observatam taciturnitatem rei gerendae a Comite de Kévenhiller. In Bohemia quoque in silentio omnia teneri, neque per 14 dies cursorem publicum aut Staffeten Passavium transeuntem visum a dicto mercatore. (Hanc causam esse reor, quod iam saepius in novis Viennensibus nihil relatum fuerit de statu exercitus nostri in Bavaria.) Ex litteris ejusdem viri ad eundem 4. Julii datis haec transcripsi. Generalem Bernklau cum Tribuno Supremo D. Menzl unacum audacissimis ex exercitu hominibus per longum circuitum castra Gallorum penitus inclusisse, et circumdedit, multos ab eis Gallicos magnos Officiales captivatos, 250 circiter boves a pascuis abduxisse, nemine nostrorum desiderato, atque ita necesse est, ut hostes perrumpant nostrum exercitum, vel propediem fame ipsis pereundum est, uti desertores hostiles turmatim ad nos fugientes asserunt. In nostris castris res annonaria abundat. Addidit, totam Generalitatem Gallicam captivam fuisse factam, quae explorandi causa exierat, si unica hora citius nostri Banduri et Croatae advenissent. Haecenus de his nihil in novis Viennensibus relatum fuit; sed 4. Julii in iis dictum, non totum exercitum Gallicum a nostris circumdatum, sed tantum furmam, ex qua a nostris 23 occisi et 48 captivati, e nostris unus Hussarus occisus et 4 Banduri vulnerati. Et sic tota relatio illius mercatoris intelligenda est.

DE novis Viennensibus: Arx Mutinensis a nostris Austriacis et militibus Regis Sardiniae acriter impugnata tandem coacta est se dedere nostris die 29. Junii, ita ut totum praesidium factum sit captivum. Dux Mutinensis tractatum iniit cum Hispanis contra nos, atque ideo et urbs et arx tamquam hosti foederata a nostris, et Rege Sardiniae hostiliter invasa, et capta fuere, Duce Mutinae cum suis ad Venetos confugiente, et Hispanis sese retro in Bononiensem et Ferariensem Ducatus per modum fugae recipientes, quibus a nostris Hussaris multa ablata fuere.

Noster exercitus in Bohemia, praesente iam Magno Duce Hetruriae, undique includit Pragam, Gallis montem S. Laurentii et arcem veterem Wischerad munientibus; adhuc durat magna desertio Gallorum, ac Generalis Festetiz cum 18.000 Pragae appropinquat, nostro exercitui iungendus. Regina ex arce Schönbrunensi summo mane Viennam redit Festum S. Procopii Patroni Bohemiae, in aulico suo sacello celebrans 4. Julii. Milites Regis Porussiae magis et magis e Bohemia recedunt, et in Silesiam pergunt, facta iam inter nos et se pace, de qua sequentia narrant nova Gallica Hagae Comitum scripta, et postea in aliis novis confirmata; tractatus dictae pacis signatus fuit Wratislaviae in Silesia die 11. Junii inter nostram Reginam et Regem Porussiae, mediante et procurante Rege Angliae, servato inter nos et Regem Porussiae ac consiliarios impenetrabili hactenus silentio et taciturnitate, ac Rege Porussiae et Principe Lotharingiae Carolo in persona convenientibus, et inter se conferentibus post proelium Czaslaviense. Conditiones pacis hae sunt: Regina nostra Regi Porussiae cedit utramque Silesiam, exceptis duobus Principatibus Troppaviensi, et Teschensi, remanente quoque Regi Porussiae comitatu Glazensi, pro quo Rex promisit, se observaturum exactam neutralitatem durante bello cum Carolo VII. ejusque foederatis, cum Regina nostra, et spatio 15. dierum totum suum exercitum e Bohemia se educturum, insuper quod velit solvere omnia debita, seu capitalia cum Interesse seu foenore Nationi Anglicanae et Hollandiae, quae Regina et ejus antecessores cum eadem contraxerunt in bona Silesiae (certum est, hoc debitum pluribus Millionibus constare) concessum quoque Regi, ut possideat Magazina, quae habuit in Bohemia, et confinibus Silesiae. Rex Britanniae assecurat hunc tractatum, eumque tueri promittit cum militibus suis, qua Rex Britanniae et Dux Electoralis Hannoveranus. In articulo separato dictum, invitando ad hunc tractatum suscipiendum Regem Poloniae, qua Ducem Saxoniae. NB. Duci Saxoniae breve tempus datum ad subscribendum, et a nostris comminatio facta irruendi in ejus terras. Haud dubium, plura fuisse stipulata, quae publicum latent. Ad hunc tractatum pacis inter Reginam nostram et Regem Porussiae invitati dicuntur Russia, Dania, Rex Sardiniae, Rex Portugalliae, Respublica Veneta, alique Principes Imperii, tempus docebit, quot ad eum accesserint. Ita tandem Deo dante cum Rege Porussiae, potentissimo Germaniae Principe, post Domum Austriacam, pax inita, quae ingentem procul dubio Carolo VII., Regi Galliae, Duci Saxoniae et Regi Hispaniae dolorem afferet. Hoc etiam mense Julio, vel certe in Junio quidam cursor

publicus a Rege Galliae ad Reginam nostram missus Mellicium transit, et narravit, populum Gallicum non esse contentum cum isto bello praesenti, et plures agnoscere injustitiam belli ex parte Regis Galliae. Ferunt item ab ipso pacis propositiones ad Reginam allatas, verum cum minime Reginae ejusque Ministerio probatae fuerint, eundem illico post spatium 2 horarum ex urbe remissum, et in Galliam redire jussus Mellicio divertit apud cauponem huiatem. Item tubicinem Gallicum a Praesidio Pragensi Gallico emissum ad Carolum Principem Lotharingiae, ut modum redditionis urbis proponeret, fuisse remissum cum exigua satisfactione Gallorum, ac iterum ablegatum talem tubicinem ab iis ad Magnum Ducem Hetruriae, jam praesentem in castris fuisse missum ad Carolum fratrem suum, utpote Ducem totius exercitus, ac Magnum Ducem dixisse, se tantum ut hospitem in castris esse, atque tunc tubicinem cum aliquali indignatione Pragam remissum a Carolo Principe, qui neque litteras aperire voluit, cum facili Gallorum petita praenovisset, sed tamen a consiliariis persuasum litteras legisse, et, ut dictum, cum indignatione ad suos redire jussisse tubicinem. Item 5. Julii et paulo etiam aute vinea nostra extra Monasterium me vidente florere coepit.

(Continuatur.)

Das General-Capitel O. S. B.

von Trier a. 1422.

Mitgetheilt von P. Ursmar Berlière O. S. B. in Maredsous.

Mehrere bedeutende, zur Förderung der Kloster-Reformen gehaltene General-Capitel lassen das Jahr 1422 als ein in der Geschichte des Benedictinerordens nicht unwichtiges erscheinen. Voll Verlangen nach geistlicher Wiederbelebung des Ordens richtete Papst Martin V an verschiedene Aebte die Aufforderung, General-Capitel zu berufen, und wirklich wurde ein solches abgehalten in der Abtei St. Marcellin zu Seligenstadt am Main¹⁾, sowie mehrere zu Tull seitens der lothringischen Aebte; diese aber sollten gleichsam die Vorbereitung bilden zu dem grossen General-Capitel von Trier, dessen Eröffnung auf den 18. October des genannten Jahres 1422 angesagt wurde²⁾.

Churfürst von Trier war damals Graf Otto von Ziegenheim, ein Prälat, dem das Wiederaufblühen der Zucht in den Klöstern ganz besonders am Herzen lag und der zu diesem Zwecke schon 1421 den berühmten Carthäuser Johannes Rhode zum Abte des Stiftes St. Matthias in Trier ordinirt hatte. Unter dem 27. Juni des folgenden Jahres erliess Papst Martin V ein Decret, welches

¹⁾ Trith. Annal. Hirsaug. ad a. 1422.

²⁾ Benoît, Histoire de Toul p. 509. — Calmet, Hist. de Lorraine tom. III, p. 716.